FABII AMBROSII SPINVLAE

E SOCIETATE IESV

ORATIO

IN PARASCEVE


AD VRBANVM VIII. PONT. MAX.

HABITA IN SACELLO VATICANO.



ROMÆ, Typis Francisci Corbelletti. MDCXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

IOANNI DOMINICO SPINVLAE CARD. S. CLEMENTIS.



NEAPOLIO SPINVLA F.



PARVM mihi erat, Princeps Illuſtriſsime, obſeruantiam in te meam vni tibi patere, niſi ea etiam alijs certa teſtificatione perſpecta foret. Auſus ergo ſum te publicè compellare, vt hoc exiguo monumento, omnes intelligant quanto ego tibi ſtudio deuinctus ſim, & quanta ſit in tanta fortunæ amplitudine ſuauitas morum tuorum. Inde eſt, vt crimen hìc nullum arrogantiæ pertimeſcam, quòd viribus maiora auſus, te adire non dubitem, & alienæ

induſtriæ tibi fructus inſcribere. Quod enim per ætatem à me ſperare non poteram, ab aliena liberalitate mutuatus, offero tibi munus, ſi ex ſua mole, aut ex tua dignitate ſpectetur perexiguum, ſi ex argumenti præſtantia, planè magnum. Oratio eſt, quam Gentilis noſter, & Conſanguineus meus, ad Vrbanum Pont. Max. eo in conſeſſu habuit, quo nullum videt terrarum orbis auguſtiorem. Ea, dum ſilentio auditur, nec iniucundè excipitur, animum mihi fecit, vt quod aliqua ex parte meum erat, quaſi meum tuo nomini conſecrarem. Et eo libentius id ago, quo ipſa in ſinum beneuolentiæ tuæ venire geſtit oratio, ab iſta nimirum purpuræ maieſtate acceptura ſplendorem: ſic enim quæ diffugiente die, atque inter mundi tenebras laborantis erumpens, Solem aſpexit in occaſu, ad orientem tuæ dignitatis lucem reſpirabit. Vale.

ORA-



ORATIO.



SI quis antea, minus ſe debere arbitrabatur effectori ſuo, quod vitæ beneficium nullo Dei conferentis impendio accepiſſet, B.me Pater, hodierna tandem die intelligat, quam in immenſum excreuerit debiti magnitudo, dum genus humanum vile mortis mancipium ijs gradibus peruenit ad vitam, quibus Chriſtus Dominus vitæ reſtitutor properauit ad mortem. Occumbente nimirum Deo reuiximus, & quos de nihilo tanquam de noſtro condiderat, recreauit è ſuo. Stetit cruciatibus antiqui operis inſtauratio, quod in prima aggreſſione vnius imperium vocis effinxerat. Stetit Diuini largitione cruoris ſalus noſtra, ad quam nos antea tenuis afflatu ſpiritus animauerat. ſuo demum quaſi è cinere meliorem in ſpem rediuiuus reſpirauit terrarum orbis,

vbi primùm vitæ Parens ſublatus in crucem moriens expirauit. Huius ego diei memoriam, qui ſcelere, qui ſanguine, qui totus amore feruet, breui oratione perſequar, narrator verius, quàm orator. Ergo impium facinus ab auaritia inter innocentiæ caſtra concipitur, atque vnus è duodecim, hoc eſt modo ſanctitatis cultor, nunc charitatis transfuga Sacerdotes adit, exacturus pecuniam, daturus Deum. Siſte gradum ſacrilege: quid agis nefarium caput? dum pro aliena paciſceris vita prodis & tuam, & qui præceptori adornas necem, feſtinas infelix ad laqueum, tu ipſe parricidij tui vindex, qui autor, tuoque malo docturus, amiſſo ſemel Deo, amitti & vitam. Interim flos Diuinitatis Chriſtus Ieſus in horto ſpinarum ſudabat myrrham primam, non ferri vindemiam, ſed amoris: atque ante Patrem ſupplex dum ſuo fouebat complexu terram, quæ prima fuerat arena peccati, ad viuacis illius dolorum omnium ſcenæ conſpectum perhorreſcens emicante venis ſanguine toto corpore lachrymabatur: vt videlicet edoceret in inſtaurando homine, à nobis, qui ſub tanto capite membra ſumus, ſociandos eſſe fletus noſtros lachrymis ſuis. Interea irrumpunt in Gethſemani Villam ſcelerum anteſignano Iuda cum facibus

bus

bus armati milites; frustra quæsituri si nollet, nocturnis illis tædis, quas inflammauerat liuor, Diuinitatis lucem, quæ sub nostræ mortalitatis latebat integumento. Sed charitatis abreptus æstu, dum suscepto prius osculi blandimento telis omnibus sæuiore vnius sono vocis, quasi luce se prodit sua, ad terram præcipites affligit vniuersos; debita enim poena impiè quærentibus Deum, ruina est. vinctus hostiliter raptatur barbarè, perque vrbis fora circumducitur insanientis populi ludibrium. Ante Pontificem, quòd se, Dei filium fateretur, reus impietatis conclamatur. Ipse Iudex sui immemor officij partes suscipit accusatoris. sed infelix sacrilegium contestaturus scissis pontificijs vestibus sacerdotalem simul exuit dignitatem. Quemadmodum enim agnoscente Petro inhabitantem in Christo Deum, super firmissimam petram, ex ore Domini firmata est Romana hæc, quam veneramur Ecclesia, ita ad huius abiectionem veritatis debuit vetus Synagoga desinere. Mercede impudentiæ restituta, quam transegerat negotiationem conatur dissoluere parricida sacrilegus; exitu tamen non felici: neque enim eodem redimitur Deus pretio, quo vendi potest. Iam verò Dominus iubente Pilato ad impurum Regem

alle-

allegatur, à quo stultitiæ refert insignia, quia tacet. Mixta namque modesta taciturnitate grauitas sæpe apud aulicos amentia est. Quid ni tamen ante Herodem mutum sit, atque elingue Dei Verbum, cuius vox ad eiusdem Regis imperium iampridem præcisa præmium fuerat saltatricis. Ergo candidatus, mox futurus suo cruore purpureus, iterum sistitur Romano Præsidi. Hic meticulosus plus nimio Iudex, quem renunciat innocentem noua iudicij forma, miserabilem facit, & crudelissima humanitate mulctat verberibus, vt subtrahat neci; rea nimirum non poterat non esse in Regno sceleris innocentia. Exuitur illicò indumentis suis tegendus nuditate nostra: circumligatur ad saxum reparationis beneficium columnæ firmitate signaturus. Instruunt carnificinam satellites, virgas expediunt, atque ictus ingeminant. Tanti ergo sceleris hortatore metu, liuore ministro, faces odio ventilante, effuso ad spectaculum coelo, ridente foro, ante Patrem obsequentissimus filius vapulabat, cædebatur acerbissimè ab hominibus Deus. Toto corpore diuinus effluebat sanguis Gehennæ restincturus incendia, & iam luxata societate membrorum, non tam discindebantur membra, quàm vulnera. Plaga-

rum

rum modus, qui Deo iubente par esse debebat patrato crimini, eodem obsequente sine lege fuit, quia à nobis peccatum fuerat præter modum. O verè virum dolorum, & scientem infirmitates: & quando in atrio Præsidis sponsus es sanguinum, cape paratas iam tibi infulas imperij tui, atque in prætorium succede inaugurandus dolorum Rex. Ferales itaque lanistæ defatigationi leuamentum quæsituri, nouo feritatis inuento contextum è dumis horrentibus diadema capiti circumponunt, arundinem, par ludicro regno sceptrum, dexteræ inserunt, atque histrionicam adijcientes humeris purpuram seriò cruentant, quem supplices per iocum quasi timidi venerantur. Fuere tunc pro plausu alapæ, pro acclamationibus conuicia, pro salutatione contumeliæ. At quia priuatim lusum fuerat, in scenam subinde traducitur, vt ante populum sit actor Deus. Sed dum parricidali inflammata odio sub ioculari latentem maiestate verè suum non agnoscit Synagoga Regem; iustissimo supplicio cadit & Regno. Insanis tandem furentium clamoribus fractus Præses, nec illius postremò parcit vitæ, cuius effuderat sanguinem ne periret. Nimirum difficilius rescinditur iniustitia quam inchoetur.

tur. Ad ſupplicium continuo rapitur, ſiſtitur ad Caluariam, nudatur, traiectisque manibus, ac pedibus trabalibus clauis in ſublime tollitur, atque inter ſicarios medius in edito tanquam in miſeri regni ſolio collocatur. Nec ſatis patibulo expletur crudelitas, ni transfigatur etiam linguarum telis. Quid exprobratis morituro Regnum? ſub Deo Principe, ſi neſcitis, dolorum nox, aurora eſt regni. Quid nomen Diuinitatis obijcitis, vt ſe ſubducat cruci? Virga Regni Crux eſt, ſceptrum non abijcit regnaturus. Quid verborum aculeis prouocatis regnantem à ligno Deum? Veſtris clauis fixa profundius Charitas eſt, vt moriturus ſibi, viuat ſaluti meæ. Inter hæc deficiente iam ſanguine, pronis in mortem oculis, ceruice in pectus defluente, hominem recreaturus expirat. Sic nimirum occumbens vltimam accepit à nobis crudelitatis lineam, qui primam inhumanitatis ſenſerat manum in exortu, & cui delapſo è Coeli ſedibus, dum non excipitur à ſuis, ſtabulum fuit pro cunis; idem barbarè nunc demum eiectus pro ſtragulo patibulum habuit in occaſu. Senſum tamen pietatis hæc rerum vniuerſitas induit, quem exuerat humanum genus. Mota illico ſuis ſedibus elementa, effracti tumuli, nouo

mugi-